

libello miraculi anno M. CC. VI facti narratio absoluta est, auctor ad ea miracula quæ annis M. CC. XXXIII et M. CC. XXXVI evenerunt accedens, tempus quo scriberet satis notavit cum Alfonsi comitis Pictavensis meminuit, qui Pictavia anno M. CC. XLI donatus est. Nihil igitur obstat quin alter libellus de reliquiis beatæ Genovesæ anno M. CC. XLII translatis eidem scriptori attribui posse videatur.

Auctoritatem ejusdem miraculi<sup>1</sup> confirmat illud miraculum quod etiam vidimus A quando in consimili periculo, circiter viginti septem annis transactis<sup>2</sup>, meritis ejusdem virginis Genovesæ, civitas Parisiensis liberata est ab imminente subversione, et populus a periculo, et universa provincia a fluminum proprios fines excedentium et pluviarum naufragio. Postquam enim, parata sollempni processione, egressa est beata Genovesa de propria ecclesia, in conspectu totius populi egressa B est columba de eadem ecclesia volitans in aere e directo super capsam beatæ virginis Genovevæ. Stante capsam stabat et columba, sicut et stella ab Oriente veniens stetit ubi erat puer Jesus. Procedente vero capsam, quæ a viris religiosis, sicut consuetudo est, deferebatur, procedebat et columba, et e vestigio in eadem processione in aere volitans beatam virginem comitabatur, sicut olim columpna C nubis in die et ignis in nocte filios Israel non deseruit quondam in deserto, per quam ipsi castra movebant et metabantur. Ingressa autem beata virgine Genovefa ecclesiam Beatæ Mariæ in Parisiensi civitate sitam, columba resedit super imaginem<sup>3</sup> quæ in figura angeli sculpta erat in summitate ecclesiæ super portam Beatæ Mariæ, universo populo ipsam columbam respiciente et præ gaudio illa D crimante et orante, et signum aliquod a Domino sibi dari expectante. Quamdiu ergo beata virgo Genovesa intra ecclesiam Beatæ Mariæ moram fecit, tamdiu columba stetit super imaginem angeli, sicut comes individua et custos fidelis. Egre- diente vero domina nostra beata Genovesa de ecclesia Beatæ Marie post missarum sollempnia rite peracta, columba denuo super capsam volitans, comitata est E beatam Genovesam usque ad ecclesiam suam. Ab illa die et deinceps longo tempore Sequana tumens infra alvei sui fines se coëgit. Denique salubritas hominum et serenitas temporum subsequuta est, et tranquillitas magna restituta est universis, populo salus, beatæ virgini gratiarum actio, Trinitati in unitate et unitati in Trinitate honor et gloria in sæcula sæculorum, amen. F

Quamvis inter eloquentes quasi balbutiens inveniatur, tamen magnalia Dei, quæ in honore beatæ Genovesæ, dum capsam sua construeretur, certissime facta comperi, non tacebo. Credo enim firmiter benignissimum summi præmii largitorem non solum de operibus servos suos remuneraturum esse, sed etiam de voluntatibus eis grata præmia largiturum. Quin immo Conditor omnium Dominum G omnipotentissimum credo pias voluntates magis quam exteriora opera acceptare; unde scriptum est: Exercitium corporis ad modicum valet, pietas autem ad omnia. Nullus ergo diffidat offerre Deo quod poterit, quia fructus quem gratia sua in nobis pariat ipsi non poterit non placere.

Item miraculum beatæ Genovesæ de inundatione Sequanæ. H

Anno ab incarnatione Domini M. CC. XXXVI, ante Natale, Sequana fluvius, de Burgundia in Normaniam per Gallicanam fluens provinciam, nimis cœpit intumescere, pluviis quotidie stillantibus super terram. Post Epiphaniam vero, arcto<sup>4</sup> jam alveo suo coerceri dedignatus, undas suas diffudit largius, ripas vindicans latiores. Tunc

<sup>1</sup> Sive miraculi anno M. CC. VI. patrati, id est eo tempore quo beata Genovefa exundantis Sequanæ fluctus restrinxerat.

<sup>2</sup> Anno circiter 1233.

<sup>3</sup> Cod. ymaginem, hic et inferius. Ibi quoque epiphaniæ, cotidie, coherceri, rippas, vendicans, havelans, ortis pro hortis, restrictio, ymbrium, habundans, etc.

<sup>4</sup> Cod. arto.